

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[CollectionBoite_013 | Bibliographies diverses. Pauvreté. Hermaphrodites. Anormalité. Criminalité. Onan](#)[CollectionBoite_013-5-chem | Marie Le Marcis. Item](#)[\[Le costume de Nature Alain de Lille, 1\]](#)

[Le costume de Nature Alain de Lille, 1]

Auteur : Foucault, Michel

Présentation de la fiche

Coteb013_f0508

SourceBoite_013-5-chem | Marie Le Marcis.

LangueFrançais

TypeFicheLecture

RelationNumérisation d'un manuscrit original consultable à la BnF, département des Manuscrits, cote NAF 28730

Références éditoriales

Éditeuréquipe FFL (projet ANR *Fiches de lecture de Michel Foucault*) ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle).

Droits

- Image : Avec l'autorisation des ayants droit de Michel Foucault. Tous droits réservés pour la réutilisation des images.
- Notice : équipe FFL ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR).

Notice créée par [équipe FFL](#) Notice créée le 18/03/2021 Dernière modification le 23/04/2021

Vestis vero, ex serica lana contexta, multifario protecta colore, puellæ pepli serviebat in usum, quam discolorando colorans temporum alteritas multiplici colore faciem alterabat. Quæ primitus candore lilii dealbata, offendeat intuitum. Secundo, velut penuria ducta, quasi laborans in melius, ruboris sanguine purpurata splendebat. Tertio, ad cumulum perfectionis perveniens, viroris sinaragdo oculis applaudebat. Hæc autem nimis subtilizata, subterfugiens oculorum indaginem, ad tantam materiæ tenuitatem advenerat, ut ejus aerisque eandem crederes esse naturam, in qua, prout oculis pictura imaginabatur, animalium celebratur concilium. Illic aquila primo juvenem, secundo senem, induens, tertio iterum reciprocata priorem, in Adonidem revertebatur a Nestore. Illic ancipiter, civitatis præfectus aeris, violenta tyrannide a subditis redditus exposcebat. Illic milvus, venatoris induens personam, venatione furtiva larvam gerebat ancipitris. Illic falco in ardeam bellum excitabat civile, non tamen æquali lance divisum. Non enim illud pugnae debet appellatione censerî, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum. Illic struthio, vita seculari postposita, vitam solitariam agens, quasi heremita factus, desertorum solitudines incolebat. Illic olor, sui funeris præco, mellitæ citherizationis organo vitæ prophetabat apocypam. Illic in pavone tantum pulcritudinis compluit Natura thesaurum, ut eam postea crederes mendicasse. Illic phoenix, in se mortuus, redivivus in alio, quodam Naturæ miraculo, se sua morte a mortuis suscitabat. Illic avis concordis prolem decimando Naturæ persolvebat tributum. Illic passer in atomum pugmæ humilitatis relegati degebant, grus ex opposito in giganteæ quantitatis evadebat excessum. Illic phasianus, natalis insulæ perpeccus angustias, principum futurus deliciae, nostros evolabat in orbem. Illic gallus, tanquam vulgaris astrologus, suæ vocis horologio horarum loquebatur discrimina. Illic gallus silvestris, privatoris galli deridens desidiâ, peregre proficiscens, nemorales peragrabat provincias. Illic bubo, propheta miseriæ, psalmodias funereæ lamentationis præcinebat. Illic noctua tantæ deformitatis sterquilinio sordescebat, ut in ejus formatione Naturam crederes fuisse somnolentam. Illic cornix, ventura prognosticans, nugatorio concitabatur garritu.

DnF
MSS

